
Grammatici Opera (Latin Edition)

Huemer Johann

Title: Grammatici Opera (Latin Edition)

Author: Huemer Johann

This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.





VIRGILII MARONIS
GRAMMATICI
OPERA

EDIDIT

IOHANNES HUEMER.



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCLXXXVI.

LIBRARY
OF THE
LELAND STANFORD JUNIOR
UNIVERSITY.

A7132

PRAEFATIO.

Cum ante hos quattuor annos de Virgilio Marone grammatico-fusius agerem¹⁾, de edendis his operibus nondum cogitavi. Haerebam enim, num hoc grammaticorum infimae aetatis studium tanti ubique aestimaretur quanti equidem haberem. Non deerant tamen qui mecum hac in re facerent; in his erat rei metricae investigator longe praestantissimus, Guilelmus Meyer, qui eodem fere tempore in libello illo satis claro 'Der Ludus de Antichristo' (Monaci 1882) de Virgilio artis rhythmicae doctore multa cum laude tractavit. Cum alii viri docti in una Ang. Mai editione neque integra neque emendata nitentes Virgilii praecepta grammatica eiusque genus dicendi satris tricosum examinarent²⁾ et nova editio iterum iterumque desideraretur, amicis adhortantibus non amplius repugnavi, quin ad opera grammatici illius diu multumque neglecti edenda accederem, quamquam me opus plenum periculosae aleae esse subiturum habebam persuasum.

Ad emendanda Virgilii opuscula auxiliis usus sum eis, de quibus in commentatione supra laudata tractavi; accesserunt forte fortuna fragmenta quaedam vel excerpta

1) cf. Die Epitomae des Grammatikers Virgilius Maro nach dem Fragmentum Vindobonense 19556. Wien 1882. (Aus dem Jahrgang 1881 der Sitzungsberichte der phil. hist. Classe der kais. Akademie der Wissenschaften, B. XCIX S. 509 ff.)

2) cf. Paulus Geyer, Beiträge zur Kenntnis des gallischen Lateins (Wölfflins Archiv II 25 ff.).

codicum Virgilianorum. Denique fontes novos alios esse patefacturos confidenter spero.

P Cod. Parisinus latinus 13026 s. IX, olim Corbeiensis¹⁾ numero 540 notatus (in margine superiore *ex Corbeiensi monasterio* legitur), tunc Sangermanensis n. 1188 membranaceus formae maioris multos latinitatis argenteae quam dicunt cum poetas tum artium scriptores continet, atque f. 1—10 *ars Euticii de verbo* (cf. Keilii Gramm. lat. t. V 477 et 'de grammaticis quibusdam latinis infimae aetat.' p. 5), f. 11^a—40^a Virgilio Maronis epitomas in fine mutilas (desinit in verba . . . *quod mihi videatur satissimum etenim duas partes praepositionem* f. 40^a), f. 40^b fragmentum cuiusdam glossarii incipientis sic: *ango stringo; amita soror matris* etc. — f. 41^a Cruindmeli artem mutilam quaternione undecima recisa (cf. editionem meam p. IV) — f. 54^a *effusum ingenii* (= Prudentii contra Symmach. praef. v. 78 — f. 73^a (FINIT CONTRA SYMM); sequitur *Eua columba fuit* . . (= Prud. ditt. 1) et *pious fidelis innocens* (= epilogus) cum subscriptione EXPLICIT LIBER PRUDENTII METRICE ARTIS FELICITER DŌ GRATIAS AMEN, deinde *Tytiron ac segetes* (cf. Anth. lat. n. 718 R), f. 76^a INCIP DE PASIONE HYPOLITI BEATISSIMI MARTYRIS (= Prud. Perist. XI), f. 78^a *electio tibi xp̄o locus est* (= Perist. VIII), Aviani fabulae inc. *Dubitandi mihi theodosi* (cf. Froehneri ed. p. 1) — f. 84^a *promeruisse necem* (l. c. p. 49). Avianum excipiunt *prima deonei tollerata* . . (cf. Anth. lat. n. 641 R) et f. 84^b *Est et non cuncti* . . (cf. Anth. lat. n. 645 R) et *ut belli* . . (cf. Anth. lat. n. 392 R); sequitur ANCI MALII SEUERINI BOETHII DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIAE *carmina qui* — f. 92^b EXPLICIT METRICA ANCI MANILII SEUE-

1) Non est praetermittendum in catalogo vetere Corbeiensi sub numero 303 (cf. Becker, catalogi antiqui p. 191) legi *Virgilio Maronis epitoma*, sed hoc libro Aeneida abbreviatam significari mihi certissimum est.

RINI etc., deinde *Perita fandi iam progressum comprime* (= Mart. Capell. l. IV p. 136 E) — f. 100^b *quino stanto aequore ponti*, f. 101^a *disparat obtritis que nos i. r.* (= Paulin. de s. Felice) — f. 120^b *nunc opus adiutore deo solusque timendus*, f. 121^a *HN ONOMA ΘH KTYI*. INCIPIUNT EGGLEGE DE LIBRIS GRAMMATICORUM DE LIT-TERA ET SYLLABA ET ACCENTU ET POSITURIS *Disciplina a discendo nomen accepit* — f. 165^b *primae coniugationis verba*, f. 161^a *Verbum est pars orationis (ars malsachani* in margine superiore alia manu scripta leguntur) — f. 181^b, ubi de alea quaedam leguntur; liber finitur epistola quadam ascetica f. 182 *expl ep*. INCIP *ep* IOHANN . . . (ultima verba evanuerunt).

Atque Virgilii epitomae, quae a folio primo quaternionis quintae (numerus in margine superiore depictus est) incipiunt, inscriptionem habent hanc: *ARS VIRGILII MARONIS | MARONIS VIRGILII ORIUNTUR AEPITHOMAE* *XV. PRIMA DE SAPIENTIA* — f. 12^b *Explicit PRIMA . incipit III (sic) de liteRa* — f. 13^b *Explici syllabae sunt* .. Capita sequentia, quae sunt de metris, de nomine, de pronomine, de verbo neque inscriptionem neque subscriptionem habent nisi quod f. 33^b *Explicit de coniunctione*. *Incipit de numeris* legitur — f. 36^b post caput de verbo finitum *EXPLICIT VIII* — f. 37^a *INCIPIT NONA DE RELIQUIS PARTIBUS ORATIONIS*.

Scriptus est codex ab uno eodemque librario, atramento tamen vario. Ex verbis syllabis litteris erasis vel supra infraque lineas positis, denique punctis persaepe litteris appictis correctoris vel correctorum manus cognoscas. Nonnulla enim is qui codicem scripsit emendasse videtur, multo plura alius quidam ad idem exemplar correxit emendando primae manus errores, detergendo archetypi proprietates, quas correcturas omnes diligenter adnotavi. Erroribus tamen multis liber adhuc scatet sive deformitate exemplaris, ex quo hic liber fluxit, sive incuria librarii satis indocti ut videtur. Vocalium *e* et *i*, *ae* et *e*, *i* et *y*, *o* et

u, a et *u* permutatio in verborum syllabis primitivis et ultimis sollemnis est, unde quae nasci potuerit et saepe nata sit confusio facile intellegas. *h* modo additur, modo omittitur. permutantur etiam consonantes *u* et *b*, *f* et *ph*, *f* et *p*, *p* et *b*, *d* et *t*, *l* et *r*, *r* et *s*, *r* et *n* aliae, quae permutationum genera, cum ad pronuntiationem illius temporis vulgarem cognoscendam multum valeant, ex adnotatione critica non seclusi. Neque minus ad sermonem vulgarem attinet, quod *m, s, t* litterae finales in fine verborum modo adduntur superflue, modo omittuntur. Scripturae compendia cum librarius non intellexisset 14, 24 *tent* pro *tenent* 32, 9 *gene* pro *genere* 28, 7 *supta* pro *sumpta* alia id genus scripsit, verborum distinctiones perturbavit locis permultis ut 43, 12 *acre tenet* 18, 13 *muli lautores logii necare nam cessi*. denique spatia inter syllabas verbi eiusdem exstantia (cf. *sapi entia* 23, 3 *inde dicionem* 27, 22) inde explicare licet, quod librarius utpote linguae latinae non satis gnarus de conectendis disiungendisve syllabis in exemplari fine versuum distractis anxius erat.

N Codex Neapolitanus nr. IV A 34 membranaceus in 4^o foliorum 289, quorum pars prior (f. 1—91) s. IX (ut Bethmanno obiter inspicienti visum est) vel X (ut G. Meynckio, cui apographum debeo), posterior vero pars paulo post scripta est. Satis accuratam codicis descriptionem Cat. Ianellius in catalogo bibl. lat. vet. et class. manuscr. quae in regio Neapolitano museo Borbonico asservatur p. 26 confecit. Atque pars prior illa quaternionibus I—XI continetur, cum haec recentior novis numeris litteris scilicet A—I pagina recta (f. 92—167) ceteris pagina versa (f. 168—289) scriptis insignita sit. Hae variae scripturae partes variis manibus sunt perscriptae. Liber olim Romae in bibliotheca *dei principi Farnese* asservatus est; s. XII fratris cuiusdam Wigradi fuisse videtur, cuius memoriale ex folio ultimo (289^r) in commentatione supra laudata p. 16 edidi. Liber ab initio mutilatus; incipit enim verbis: *ipsam rem exprimat et a ceteris rebus seiungat* = Pompei

commentum (cf. Keil. Gr. l. p. 137, 17); plurima grammaticorum scripta continet, quae post Ianellium hic enumerare supersedeo.

Virgilio opera f. 187—205 complent. Atque epistolae, quas solus Neopolitanus servavit, foliis prioribus (187^v—205^v) complectuntur, quamquam post epitomas esse conscriptas ex auctoris ipsius verbis intellegitur¹⁾, epitomae posterioribus f. 205^v—217^r. Inscribitur epistolis (f. 1 si a Virgilio numerare inceperis) litteris his colore rubro pictis **INCIPIIT PRAEFATIO MARONIS — subscribuntur haec f. 18 FINIUNT BIS QUATERNE MARONIS EPISTOLAE FELICITER SALTORE²⁾ PER SCRIPTAE //// — sequitur IN NOMINE DEI PATRIS MARONIS VIRGILI ORDIUNTUR EPHITHOME capitibus his divisae et ordinatae: INCIPIT I. DE UARIA RATIONE LATINITATIS — finit primus. INCIPIT SECUNDUS D scenderatione fonorum — finit INCIPIT IIII (sic) DE METRIS — INCIPIT IIII. DE COGNOMINATIONIBUS NOMINUM at. q. VERBORUM — finit. INCIPIT V. DE CATOLOGO (sic) GRAMMATICORUM — EXPLICIT MARONIS Virgilio. Oriuntur ephitome. orationum partes quae sequuntur non numerantur, at inscriptiones habent has: DE LITTERA (teste Maio), De sillabis — De pronomine, DE VERBO,**

1) cf. epist. IV p. 156, 6. *Propter quod et ego, quia tibi de nomine ac pronomine verboque breviarum expositiones per epistolas intimaverim, inferiores quoque partes brevioribus quidem sed propriis epistolis explanabo, praesertim cum epitomis de IIII partibus unum feci opusculum, quae residuae sunt adverbio scilicet participio coniunctione et praepositione.*

148, 12. *Quod et ego in epitom arum opere ita esse sentiendum scribisse me arbitror.*

149, 18. *Haec de figuris dixisse sufficiat, praesertim cum in epitom arum praedicto opere diligentius de figuris quaedam dixerimus.*

169, 14. *Verum quoniam de participio et in hoc et in supra memorato saepe opusculo (sc. epitomis) sufficienter edisseruisse me arbitror, oportunitate huic epistolae finem dabo.*

2) A SALTORE coniecit Maius p. 95.

DE ADUERBIO, De participio, DE CONIUNCTIONE, DE PRAEPOSITIONE, DE INTERIECTIONE.

Ex subscriptione iterata colligi licet scriptorem vel codicis Neapolitani vel exemplaris ex quo fluxit, capitum ordinem inmutasse ita, ut unam partem octo orationis partes continentem ab altera ad generales res grammaticas pertinente secerneret. De hac re, qua librarius verba auctoris omittere vel mutare nonnunquam coactus est, iam in commentatione memorata p. 28 s. fusius tractavi.

Scriptus est codex manibus variis atque scripturae Casinensi quam dicunt non absimili modo, ut Meynckio quidem visum est. In ea parte, quae Virgilio opera continet, notae marginales duabus manibus confectae exstant, quarum specimina quaedam in adnotatione deprehendes. Quas correcturas hic liber sit passus, ex notis patebit; cum autem quid librario debeatur quid correctori non ubique potuerit discerni, satis habui plerumque correcturas solas indicare. Atque correcti sunt non solum aperti errores librarii ex exemplari non diverso, sed etiam emendatae verborum formae sermonis vulgaris propriae, quae tamen in hoc libro tanto rariores sunt quanto longius distat tempore ab archetypo, ad quod liber ille Parisinus propius accedit. Etiam glossas corrector nonnullis locis adiecit ut p. 42, 9 *divitia : causa* 114, 1 *fovi : voci* 114, 6 *proclivem : productum*. Multa in Neapolitano sunt ommissa inprimis sub finem epitomarum ita ut librarium longo opere fortasse defessum laborem mutilatis et ad suum usum redactis capitibus sibi minuere voluisse conieceris. At in epistolis, quae principem locum tenent, multo minora ommissa esse videntur, quod cum in hoc libro uno serventur, grata Minerva factum esse apparet.

Ad librum Neapolitanum primus et solus Virgilio epistolas integras, epitomas autem decurtatas edidit Ang. Maius, in tomo V. classicorum auctorum p. 1—149. Vir doctissimus cum libro Neapolitano denuo examinato editionem alteram eamque castigatam esset paraturus, morte abrep-

tus est. Pars operis incepti neque absoluti recepta est in appendicem ad opera edita ab A. Maio p. 113—166, qui liber prodiiit Romae anno 1871. Codicem in meum usum contulit G. Meyncke; locos quosdam A. Goldmann a me rogatus iterum inspexit.

Folia quinque codicis quondam Salisburgensis (nr. 164) in fragmentum Vindobonense 19556 nunc V sunt redacta, de quibus cum in commentatione saepius memorata fusius tractaverim, agere hic supersedeo. Codex deperditus maximam partem scriptus erat s. IX.

Pretii non minoris est alterum fragmentum, quod in codice miscellaneo Angelico numero V. 3. 22 insignito exstat cum inscriptione f. 31^v: **INCIPIUNT EPITOME VIRGILII MARONIS.** *Latinus a quo latinitas — pro unitate dei alti* (f. 32^r). Praecedunt versus cuiusdam doctoris super epigrammata Prosperi, quorum est ultimus: *'sidereum celi cupiunt qui scandere regnum'*; sequitur autem Virgilium *Augustinus de novem musis in libro de doctrina christiana.* Fragmentum perutile, quod Arevalus primus in editione Sedulii p. 425 publici iuris fecit, in meum usum a G. Meynckio exaratum in appendice huius editionis iterum edidi. Codex est s. X (cf. Pertz. Arch. XII 376).

Excerpta ex Virgilii epitomis inter grammaticorum multorum scripta continet codex Montepessulanus 306 s. IX f. 32 s. (cf. cat. gén. des depart. I) cum inscriptione hac: **DIFFERENTIAE SERMONUM EX EPITOMIS VIRGILII.** *Aliud est dici — quoniam iurabant* (f. 34). Sequitur **EX LIBRO CATONIS.**¹⁾ *Sunt adverbia localia — id est non sana* (f. 35^b). Librum in meum usum contulit M. Bonnet, vir doctus ac liberalis. Excerptum non inutile in appendice publici iuris feci.

Etiam in codice Mediolanensi (bibliothecae Ambrosianae) M 79 s. XI pag. 51^r excerptum quoddam ex

1) Edidi hunc tractatum in mea de Virgilio commentatione p. 13 s.